



Wa. 78.



18./
17

EXERCITATIO IVRIDICA
DE
CENSU IVDAICO

Oder:
Von der Juden-Schätzung.

QVAM
PRAESIDE
GOTTFR. MASCOVIO

IC. ET ANTECESSORE
POTENTISS. MAGN. BRITANNIAE REGIS
ELECTORIS BRUNSVIGO-LVNEBVRGICI
CONSILIARIO AVLICO

IN ACADEMIA REGIA GOTTINGENSI

AD D. XVI. NOVEMBR. CIO IO CC XXXV.

PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

IOANNES LVDOVICVS VHLIVS
CREILSHEMIO-ANSPACENSIS.



EDITIO SECVNDA.

IENAE EX OFFICINA RITTERIANA
M DCC XXXVI.

187

REPUBLICA VADICA

DE

GEYSY VADICO

REPUBLICA VADICA

REPUBLICA VADICA

GOTTFRID HANZCOVIO

IN VADICA

REPUBLICA VADICA

REPUBLICA VADICA

REPUBLICA VADICA

REPUBLICA VADICA

IOHANNES VADICUS VADICUS

REPUBLICA VADICA



REPUBLICA VADICA

REPUBLICA VADICA

REPUBLICA VADICA



ILLVSTRISSIMO DOMINO
DOMINO
GERLACO ADOLPHO
DE MVNCHHAVSEN

DYNASTAE IN STRAVSFVRT
SERENISS. AC POTENTISS. MAGN.
BRITANNIAE REG.
ELECTOR. BRVNSVIGO - LVNEBURG,
A CONSILIIIS STATVS INTIMIS
MAGNO ZELLAE SENESCHALLO
REGIAE ACADEMIAE GOTTINGENSIS
CVRATORI SVPREMO

FELICITATEM PRECATVR
IOANNES LVDOVICVS VHLIVS.

INSTITUTIONE ROMANA
SACRISSESSIMO DOMINO
BOMINO
GERALDO ADOLPHO
D. M. V. C. H. A. V. S. T. A.

SEBASTIANUS AGOSTINUS MARELLI
SACRISSESSIMO DOMINO
BOMINO
GERALDO ADOLPHO
D. M. V. C. H. A. V. S. T. A.



ILLVSTRISIME DOMINE

VT TVAE inprimis EXCELLENTIAE has
paginas dem, dicem, dedicem, cum
publicae me cauffae plurimae, tum aliae quo-
que priuatae adducere uisae sunt. Cum
enim in toto, qua late patet Electoratu
Brunsuicensi, praesertim autem in hac bonae
mentis sede TVIS cuncta laudibus personent,
TIBI, ILLVSTRISIME DOMINE, tribuatur
praestantium Virorum, qui ius hic et caete-
ras artes docent delectus, TIBI debeatur
hospitiorum et lautii decus et copia,

TIBIQUE proinde etiam accepta ferenda sit
ornatissimorum iuuenum hinc inde con-
fluentium frequentia, eaque in hanc ciuita-
tem studii et amoris TVI indicia commemo-
rari ego quotidie et dilaudari audiam; quis
mihi succenseat, si uel sic utilitatem publi-
cam a TE tantopere adiutam publice suspi-
cerem? Nunc autem eo magis ad summae
sapientiae TVAE eximiarumque uirtutum
TVARVM cultum excitor, quod uetus EX-
CELLENTIAE TVAE cliens est pater meus,
mihique excelsae mentis TVAE dotes, qua-
rum imaginem dudum ante a patre meo
hauseram, coram deuenerari licuit. Quare
incessit animum meum insignis spes et ex-
spectatio, fore, ut minime dedigneris de-
mississimum hunc animi mei cultum, qui
Deum precibus ardentissimis oro, ut TE pa-
triae et Musis diutissime superstitem seruet.

Dabam Gottingae, d. xvi. Nouembr.

CIC IO CC XXXV.

EXER-



EXERCITATIO IVRIDICA
DE
CENSU IVDAICO

I

CENSUS a censendo dictus, seu arbitrando, quod, qui apud Romanos censores dicebantur, arbitri publici essent populi, aestimarentque, quantum quisque ad necessitates publicas conferre deberet. Fiebat haec aestimatio pro modo facultatum, quas qui professi essent, iurabant, uere se et optima fide singula sua praedia, urbana et rustica, mancipia, iumenta, fundorum singula instrumenta, pecuniam denique numeratam indicasse, addito parentum, coniugis, liberorum, suoque nomine. Res saluberrima magno futura imperio originem debet Seruio Tullio, sexto Romanorum regi; regibus uero eiectis, post aliquod temporis interuallum A. V. C. CXXII. censores duo inter magistratus liberae reipublicae constituti sunt, qui pedetentim morum quoque et uectigalium publicorum curam muneris sui ambitu complexi sunt. Augustus dein, ut est apud SVETONIUM, occupata ab imperatoribus republica, censum populi ter egit, quamquam sine censuræ

suræ honore, primum et tertium cum collega, medium solus; dein, ut idem et DION testantur, seruato instituto uetere censores ex priuatis legit, sed semel non amplius P. Aemilium Lepidum et Munatium Plancum; censoribusque procuratores substituit, qui non Romæ tantum, sed in prouinciis quoque bona describerent, et in tabulas censuales referrent. Censorum munus postea ab insequentibus imperatoribus semel et iterum restitutum post Domitianum fere interciderat, cum diu post, seculo quippe tertio adulto, sub Decio, Valerianus, qui eum in imperio sequutus est, sine collega et ullo dein in censura successore, censor creatus est

II

In prouinciis autem acti ab Augusto census nobile exemplum iis temporibus existit, quibus CHRISTVS, dominus noster, Bethlehemi natus est, unde est, quod patres ecclesiae, IVSTINVS MARTIR, TERTVLLIANVS et CHRYSOSTOMVS ad tabulas censuales prouocant, quando cum paganis de natiuitate Christi disputant. Quam descriptionem, Cyrenio in Syria procurante, factam esse, auctor est diuus LVCAS II, 1.2.3. idemque testatur, terram uniuersam ea censam fuisse. Terra uniuersa pro uniuerso imperio Romano ponitur: quidam eam pro tota tantum Iudaea poni existimant, moti silentio scriptorum reliquorum, qui, uti putant, rem tanti momenti referre non omisissent, si totus orbis Romanus descriptus censusque fuisset. Sed sin minus scriptores profani palam et disertis uerbis mentionem faciunt census ab Augusto per uniuersum orbem Romanum acti, idem tamen coniectantibus haud obscura rei praebent argumenta. Vtique enim TACITVS *I. annal.* 2. Augusto breuiarium totius imperii fuisse scribit, in quo opes contentae fuerint, quantum ciuium sociorumque in armis,

DE CENSU IYDAICO

mis, quot classes, regna, prouinciae, tributa, aut uectigalia et necessitates ac largitiones; idemque litteris prouiderunt SVETONIUS in *August. c. 10.* et DION *LVI. p. 677.* Tam exactam enim imperii Romani notitiam censui uniuersali debitam fuisse, iure meritoque suspicemur? Hunc censum praeterea primum appellat Euangelista, actum procurante Cyrenio, quem tamen post obitum Herodis, relegatumque Archelaum, id est, diu post Christum natum, in Syriam procuratorem missum esse, IOSEPHVS scribit *antiquit. lib. XVII. c. 7.* Sed potest d. Lucae conciliari Iosephus, si uerba eius de procuratore extraordinaria intelligamus, qua ad faciendum in Syria et Iudaea censum in has regiones allegatus fuerit Cyrenius, ante quam eis daretur procurator ordinarius, quam sententiam sequuntur IOSEPHVS SCALIGER in *animadu. ad EVSEB. num. 206.* GERARDVS IOANNES VOSSIUS *dissert. de annis Iesu Christi prim. in addit. ad num. 42.* DIONYSIUS PETAUIVS in *rationario temporum, part. II. lib. III. c. 2*

III

Quam ob rem autem hoc consilium censendi orbem terrarum ceperit Augustus, non una et simplex ratio fuit. Si rem humano more consideramus, blandiri sibi uoluit Augustus magnitudine potentiae suae, simulque nouisse uires et opportunitates prouinciarum, quas antea cum senatu communicauerat, huic pacificas relinquens, sibi bello turbidas seponens. Sed humano consilio suo more mirifice usa est prouidentia diuina, manifestando aduentum sospitatoris nostri. Primum enim hoc censu palam omnibus fiebat, sceptrum Iudae translatum esse ad Romanos, gentemque Iudaicam reuereri maiestatem Principis peregrini. Dein ad sedes stirpis suae antiquas Bethlehemum pergens Iosephus paret Michae

B

Pro-

Prophetæ, qui dominum Israelis, cuius exitus ab æterno fuisset, Bethlehemo proditurum dixerat. Videtur uero Augustus id unicuius provincie dedisse, ut fuo more censeretur. Omnino enim Iudæi, non, ut Romani, habitatione, LIVIUS XLII. 10. l. 3. D. de cens; sed origine censi sunt. Quemadmodum enim uidimus, Bethlehemum se confert Iosephus, ut nomen ipsius, et sponsæ Mariæ, et nascituri pueri Iesu inter auitas cognationes suas describatur, conuenienter legi diuinæ Num. I. 2: *tollite summam uniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes et domus suas*

III

Praeter personarum rerumque descriptionem census uox etiam tributum designat, cuius ex aequo indicendi causa descriptio fieri solet. Hoc sensu praecipue semper notus fuit census Iudaicus; tributum enim Iudæi soluerunt inde a temporibus Pompeii, qui Palaestinam subegit, et quidem didrachmum singuli, quod dispersi per provincias ad templum mittebant. Ad hoc tributum pertinebat captiosa quaestio, qua a Christo quaerebant, *ἔξεστι δῶναί κήρυον καὶ σαρὶ ἢ οὐ*; fasne esset Tiberio censum pendere, nec ne, MATTH. XXII, 17. MARCI XII, 14. LVC. XX, 27. Quippe putabant fore, ut aut iram procuratoris Caesarei in se prouocaret, si negaret deberi, aut displiceret libertatis studiosis, si id iure pendendi affirmaret. Tributi enim causa rebellio paullo ante fuerat, cuius auctorem Iudam Galilaeum inter seditiosos, iusta caede interemtos, recenset Gamaliel *Astor. V, 35*. Vafritiei autem interrogantium quam confidenti cautaque responsione occurrerit Christus, notum est omnibus. Ait enim: *ostendite mihi numisma census*, cumque illi obtulissent denarium, ait iis Iesus: *cuius est imago et inscriptio*; cumque respondissent: *Caesaris*; *reddite ergo*, inquit,

inquit, quae sunt Caesaris, Caesari, et quae sunt Dei, Deo. Hic uero numus census non singulare genus numismatis fuit, uti uisum BARONIO *tom. I. annal. 34.* sed numus Romanus ordinarius. Ex tanta enim copia, qua opus fuisset in tot hominum myriadibus, unus alterue hodie superesset, si suum idque singulare censui monetae genus praestandum fuisset, ut uerisimiliter colligunt IVSTVS LIPSIVS *de magnit. Rom. II. c. 3.* ISAACVS CASAVBONVS *exerc. contra Baron. XII. §. 6.* SALMASIVS *ad Lamprid. p. 216.* et IO, SELDENVS *de I. N. et G. I. VI. c. 17.* Idem didrachmum census nomine Christus ipse soluit MATTH. XVII, 24. Templo autem Hierosolymitano, una cum urbe euerso, quotquot Iudaismum profitebantur, didrachmum Ioui Capitolino pendere iussi, DION *lib. LXI. p. 748.* institutusque fiscus Iudaicus, tributi Principibus soluti satis nobile genus

V

Fiscus uas sparteum, uimineum, iunceum, utile, necessarium in omni re familiari et rusticana. Deficientibus autem marsupiis, in grandi argenti summa, etiam pecuniae asseruandae adhibitum, praesertim ab imperatoribus, adeo, ut quemadmodum numulis priuatorum loculi et arca relinquebantur, sic fisci continerentur diuitiae Principis. A continenti ad contentum transit nomen, fiscusque dici Principis reditus, separati primum a rebus populi, qui aerarium dicebantur. Neglectum discrimen, postquam firmato imperio umbra libertatis populo illudi desit; tum enim fiscus et aerarium promiscue dici coeperunt. Eius fisci portio fiscus Iudaicus fuit, institutus, ut uidetur, a Vespasiano. Hoc enim, ut nemini ignotum, imperante, Iudaea a Tito filio eius capta, urbs Hierosolyma excisa est. Quare in numis quoque utriusque Iudaeae captae mentio fit,

eaque symbolo feminae sub palma stantis sedentisue adumbratur. Palma enim frequentissimum Palaestinae arborum genus fuerat. Vtriusque Principis Vespasiani et Titi numi in opprobrium gentis Iudaicae scrofam quoque cum quatuor fuculis exhibent, IAC. OISELIVS in *ihes. sel. numism. tabula XVI. num. II.* uel quod odio porci gens satis nota esset, uel, quod calumnia religionis porcum adorare dicerentur. Epigramma PETRONII:

*Iudaeus licet et porcinum Numen adoret
Et cilli summas aduocet auriculas.*

Cillus asinus, unde CICERONI agaso cillanus, quem IULIVS POLLVX *lib. VII. cap. postrem. ἀλλαντῆρα* appellat. Notum conuicium paganorum, effigiem asini in penetrali templi sacratam fuisse, quod gens in deserto aquae penuria laborans, asinis ad aquae uenas uiam monstrantibus, refocillata sit. Alii uersum posteriorem sic legunt:

Et coeli summas aduocet auricolas,

eoque coelicolas circumscribi putant, quo nomine Iudaei traducebantur, quod diuinitati sine ulla statua aut imagine uersis in coelum oculis supplicarent, uel quod Numen sanctissimum lingua eorum per Metonymiam continentis pro contento etiam coelum diceretur, cuius locutionis exemplum etiam in nouo foedere LVCAE *XV. 28: peccauit in coelum et in te.* Sed cillus asinus hic magis respondet porco, cuius in praecedenti uersu mentio. Adducitur huius loci Petroniani auctoritate Vir magnus CORNELIVS DE BTKERSHOEK *obséruat. lib. VI. c. 2.* ut et apud IUVENALEM *Sat. XIII. uers. 97.* ubi de Iudaeis agitur, pro

Nil praeter nubes et coeli numen adorant,

legi

legi malit: *et cilli nomen adorant; coeli uocem huic loco uix conuenire censens, quia nubes et coelum non differant, nisi nominis sono, et quia ibi notetur et rideatur propria Iudaeorum superstitio. Verum quandoquidem et coelum et cillum adorare dicebantur Iudaei, Coelicolae et Cillicolae, et coelum nudum quoque et serenum sine nubibus intelligitur, quia*

Nube solet pulsa clarior ire dies

IUVENALI coelum non innidebimus, saltem, et de coelo nubibus tecto, fortiori et uegetiori oratione coelum et nubes coniugi dicemus, ut in illo VIRGILII:

- - - *pateris libabat et auro,*

aut illo LVCANI:

- - - *chalybem frenosque momordit*

VI

Reuertimur ad fiscum Iudaicum. Eum acerbe exercuit Domitianus, SVETONIVS *in uita eius c. 12.* Addit idem TRANQVILLVS, interfuisse se adolescentulum, cum a procuratore frequentissimo consilio inspiceretur nonagenarius senex, an circumsectus esset. Delati non solum qui Romae improfessi Iudaicam uiuerent uitam, sed etiam qui originem dissimulassent, et paganis in speciem sacris adsueuissent, saltem suis operam non darent palam. Idem Domitianus castrari mares uetuit, SVET. *c. 1. c. 7.* Castratorum autem nomine calumniose procuratores eius Iudaeos circumcidentes complexi sunt. Edictum contra euiratores repetitum a Nerua, testibus XIPHILINO et ZONARA, sed qui eos distinxit a circumsectoribus Iudaeis. Id colligo ex numo Neruae, cuius Epigraphae:

CALVMNIA FISCO IUDAICI SVBLATA,

B 3

con-

coniecturaeque argumentum aliud quaero in *l. n. pr. D. ad leg. Cornel. de fidei iur.* ex qua patet, quam affinis castrationi circumsectio habita fuerit. *Circumcidere*, inquit, *Iudaeis filios suos tantum rescripto d. Pii permittitur, in non eiusdem religionis qui hoc fecerit, castrantis poena irrogatur.* Adde, quod sub Hadriano Iudaei bellum mouerant, quod genitalia mutilare prohiberentur, SPART. in *Hadr. c. 14.* Credo id ipsum quoque obtentu castrationis factum esse. Fit enim mentio senatus consulti sub Hadriano aduersus castratores lati in *l. 4. §. 2. et 6. D. ad L. Cornel. de fidei iur.* indeque simul apparet, ut in aliis iuris articulis, sic in hoc quoque multoties repetita, et paullo post partim abolita, partim neglecta fuisse Principum rescripta. En enim Domitiani, Neruae, Hadriani et Antonini Pii constitutiones in eandem rem. Equidem editor et interpretes Musei S. Genouetae calumniam fisci Iudaici intelligit de censu plane abolito, sed eum accurate refellit EZECHIEL SPANHEMIYS *de usu et praest. numism. lib. II. diss. 13. p. 570.* qui eam de taxationibus, quibus Iudaeos sub Domitiano obnoxios fuisse diximus, interpretatur, cuique ad ea, quae de poena calumniatorum differit, addi debet V. A. HENRICVS BRENCMANSVS *ad legem Remmianam*

VII

Inualuit dein aliud census Iudaici nomen, *aurum coronarium* et *apostolatus*. Aurum coronarium primum a gratulantibus pro coronis aureis oblatum est in qualibet laetitia, dein conuersum in anniuersariam pensionem. Apostolatus uero nomen ab exactoribus habet, qui apostoli dicebantur, ut statim apparebit. Hunc censum Iudaeis remiserat imperator Iulianus. Videatur eius *epistola XXV*; sed paullo post rursus exactus est a successoribus. Ab archisynagogis autem siue presbyteris, qui
lingu-

singulis synagogis praeerant, id colligebat patriarcha Iudaeorum, cuius sedes ordinaria Constantinopolis erat. Archisynagogi uero apostolorum utebantur ministerio in compellendis singulis, donec gliscentibus odiis inter Arcadium et Honorium hunc canonem in suis ditionibus a patriarcha amplius exigi indignaretur Honorius, aurumque coronarium ad suum aerarium deferri iuberet A. C. CCCXCVIII. l. 14. C. Th. de Ind. et Coelic. Utitur in eo iure suo Arcadius, sibi que uindicat, quod ad eum pro summa ipsius potestate pertinebat, quamquam in constitutione sua odium magis Iudaicae superstitionis profitetur, quam curam tuendae maiestatis. Post quinquenium tamen, extinctis simultatibus fraternis, Honorius, Patriarchae Iudaico more pristino uti permisit, ad eumque aurum coronarium ex prouinciis suis deferri fuit, l. 17. C. Th. eod. Haud ita multo post, sublato Patriarchatu, patriarchis Primates successerunt, quibus ramen quae in occidentalibus imperii partibus soluebantur adimit, suisque largitionibus inferri iubet Theodosius, exactione Palatinis, id est, Officialibus sacrarum largitionum mandata, l. 29. C. Th. l. 51. C. eod. Conferatur BLONDELLVS de primat. p. 532. PETITVS II. Var. 10. et qui hunc aliquoties refellit IAC. GOTHOFRED. ad cc. II. C. Th.

VIII

Extincto imperio Romano Iudaeos in plerisque regnis hodiernis fisco regio addictos fuisse, ostendit DV FRESNE uoce *Iudaens*, nec proinde quisquam miretur, eosdem in Germania quoque fisci seu camaræ imperialis seruos dici, et iure seruitutis huius censum pendere. Antiquissima Iudaeorum, uti camaræ seruorum mentio in litteris Friderici II. apud PETRVM DE VINEIS VI. 12: *omnes et singuli (Iudaei) degentes ubique per terras nostrae iurisdictionis subiectas, Christianae legis et imperii praerogatiua,*

gatiua, qua dominamur et uiuimus, serui sunt nostrae camerae speciales. Idem eam seruitutem a maioribus suis repetit in diplomate Vindebonensi, dato A. 1237. mense Aprili apud LAMBECIUM lib. II. biblioth. Caes. Vindeb. cap. 5. p. 8. *Ab officiorum, inquit, praefectura Iudaeos excipimus, ne sub praetextu praefecturae opprimant Christianos, cum imperialis auctoritas a priscis temporibus ad perpetuam Iudaici sceleris ultionem eisdem Iudaeis induxerit perpetuam seruitutem.* In ueteri iure Prouinciali et Feudali apud GOLDASTVM inter *Constitutiones Imperii cap. 346. p. 102.* haec seruitus inde a temporibus Titi deriuatur, unde eam Fridericus II. quoque repetere uideatur. Possunt tamen uerba ipsius etiam de praedecessoribus eius Germanicis imperatoribus intelligi; etsi non constet, cui primo Iudaei addicti fuerint. Henricus III. sane binis et amplius seculis antea, Iudaeos pessime a Christianis in Germania habitos in fidem tutelamque suam recepisse legitur. Iam tamen dudum ante Henrici tempora Iudaeos in Germania habitasse nouimus. Treueri enim et Coloniae Agrippinae iam Hadriani temporibus Iudaei claruerunt, ut ostendit BASNAGIVS *hist. Iud. lib. VI. c. 7.* Inde in uicinas Rheno ditiones concesserunt, praefulgenteque persuasione Iudaica usus est Deus, ut lucem religionis Christianae facilius admitterent gentes Germanicae, barbarae, diuinaeque reuelationis expertes et insuetae. Caeterum censum pendere incertum, regibusne statim Iudaei coeperint, cum in unius regni compagem coaluit Germania; an fisco imperatorio tum demum addicti sint, cum exagitati a permultis imperii statibus benignos experirentur imperatores

VIII

Inualescente quippe religione Christiana Iudaei primum placitis Conciliorum et Synodorum multifariam circum-

circumscripti sunt, dein prae felicitate iam luxuriantibus Christianis, internecinis eorum odiis manifesta quoque ui oppugnati fuerunt. Molientibus enim Principibus Christianis bellum contra Saracenos expugnandae urbi sanctae, eripiendoque barbaris sepulchro Christi, Iudaei Aureliani unum ex suis cum litteris miserunt, quibus monitus Princeps Babylonis, qui Hierosolymis praeerat, templum funditus euertit. Quod ut diuulgatum est, Iudaei omnes non in Gallia tantum, sed *in toto orbe Romano*, adeoque in Germania etiam trucidati combustique sunt, GLABER apud BARON. *ad ann. 1009*. Durauit haec strages per integrum seculum XI. quo miles facer in Palaestinam proficiscens quamplurimos in itinere Iudaeos Germanicos peremit. Moguntiae quatuordecim ultra mille occisi, *Chronicon Stederburgense* apud MEIBOMIUM *tom. I. scriptor. rer. German. p. 452. ad ann. 1096*. iunctis DODECHINO ad MARIANVM SCOTVM, SIGEBERTO GEMBLACENSI, GIBELINO PERSONA et *Additionatore* LAMBERTI ASCHAFFENBURGENSIS apud PISTORIUM ad haec circiter tempora. Spirae in palatium regis et episcopi fugientes uix Christianis Hierosolymam petentibus resistere potuerunt, BERTHOLDVS CONSTANTIENSIS *in append. ad HERMANNVM CONTRACTVM ad ann. 1096*. VVormatiensibus quoque Iudaeis illata uis, *id. c. l.* et ad baptismum coacti Ratisbonenses, donec Henricus III. ex Italia redux, eos, ut dictum, non solum in tutelam reciperet, sed et ad baptismum coactos sacramento solueret, et iis ad superstitionem suam redire permetteret, DODECHINVS *l. c. ad ann. 1097*. ALBERTVS STADENSIS *ad a. c. Seculo XII. a. 1146*. Radulphus monachus multa hominum millia ad suscipiendam crucis expeditionem excitauit: idem caedis Iudaicae auctor a milite foede passim perpetratae, donec imperator Fridericus I. opem petentibus,

C

bus,

bus, Noribergamque et in alia opida imperalia fugientibus praesidio esset, OTTO FRISINGENSIS *lib. I. de gest. Frid. I. c. 37.* apud VRSTISIVM p. 428

Ab his Friderici Barbarossae temporibus quidam hodiernum censum Iudaicum repetunt. Observant enim Principem potentem firmiores obices ponere potuisse crudelitati Christianorum incensae spe opum a Iudaeis cogendorum, quam Henricum III. seditionibus Principum imperii, iniuriisque Pontificis pridem fractum. Quatenus cognita nobis Iudaeorum fata, probabilis fuerit coniectura, abscisse tamen nihil affirmauerim, utpote in re facti, sine idoneo teste. Quidquid sit, obstinata gens hostili suo aduersus omnes alias odio, omnium odium in se prouocauerat, cumque nulla alia re magis flecti hominum animos crederet, quam pecunia, incubuerat in fordes, plebemque usuris uehementer accisam fere oppresserat: inde exacerbatis Christianis proditione unius uersa est in perniciem omnium etiam consilii haud participum. Accessere fraudes sacerdotum, qui colorem coeptis non minus contra Iudaeos, quam contra Saracenos a pietate quaesuerunt. Non solum enim id agunt, ut imperium externis bellis debilitetur, et Princepsmersus fluctibus negotiorum peregrinorum curare desinat iura sua, sacerdotioque facilius omnia concedat; sed plebem etiam frementem, se a penatibus suis in alium orbem in lanienam duci, sedant spoliis Iudaeorum. Ex his proinde miles uaticum capit longo itinere, postquam ab inopia eius facile impetratum est, ut crederet, Iudaeos omnes omnia Christianorum consilia cum Saracenis communicasse

Aucta denuo gens eodem seculo duodecimo exeun-
 te ab exulibus ex Gallia Iudaeis, expulsis a Ludouico
 Sancto, quorum pars Germaniam, pars Longobardiam
 petiit. Fama est, ab his, qui Italiam petierunt, Cam-
 bium inuentum, contractum utilissimum negotiis ab-
 sentium, *L'auteur du traité général du Commerce* p. 122.
 Hac enim ratione per amicos suos, qui remanserant,
 placitisque Christianorum, ut melius laterent, in spe-
 ciem nomen dederant, uenditarum possessionum eos
 pretium accepisse aiunt. Conradus III. rex Romano-
 rum a. 1243. Iudaeos in protectionem, ut ait, suam, et
 imperii sui recipit specialem, LEIBNIT. *t. I. Cod. Diplom.*
in prodromo §. XII. GOLDASTVS t. II. Constat. imperiat.
p. 85. Sed eosdem mox alia mansit tempestas, cui ope
 imperatorum rursus erepti sunt. Ferebatur rumor, gen-
 tem impiam hostiam ludibrio habitam in mortario pi-
 stillo contudisse. Sceleris se uindicem coelitus demis-
 sum nobilis quidam, alii rusticum appellant, nomine
Rindsteisch ferebat. Publicatis bonis cateruatim con-
 cremantur Iudaei, praecipue Herbipoli, Noribergae,
 Bambergae. Eundem uero *Rindsteisch* imperator Alber-
 tus depulit, ciues uero Noribergenses, quod caedi Iu-
 daeorum consensissent, grandi aere mulctauit, SIFFRI-
 DVS, *presbyter Misniensis l. II. epist. ad ann. 1299. AVEN-*
TINVS l. VII. anal. cap. 14. §. 3. Omnium dirissimam
 uexationem Iudaei perpeffi sunt seculo XIII. Graflaba-
 tur tum per orbem terrarum pestilentia sine exemplo
 faeuissima, qua triens hominum extinctus, nisi auctus
 est numerus mortuorum dolo monachorum, qui tum
 fere soli annalibus scribendis uocabant. Culpa Iudaeis
 tributa, qui puteos, etiam uinum et butyrum ueneno
 infecisse, eoque malum prouocasse dicebantur. Indi-
 cium rei uenenum in puteis repertum, miserorumque

quorundam in equileo confessio fuit, cui accedebat rara mors Iudaeorum. Chronographi horum temporum, et prae caeteris IACOBVS DE KOENIGSHOVEN in *Chronico Alsatiae cap. 5. §. 74. et seqq.* ibique SCHILTERVS in *annotat. 18. Argentorati an. 1349. d. 13. Febr.* duo milia Iudaeorum simul exusta, eorumque bona plebi distributa aiunt. Quidam Spirae combustionis certi suppellectilem et bona sua omnia diligenter collata secum combusserunt, ut coruos inhiantes eluderent. Christianorum multi portiones suas aedificationi Monasterii [des Münsters], quo urbs adhuc superbit, aliisque piis causis, cleri consilio destinarunt, *videm c. II.* Facile autem apparuit, ueneficium tunc et pestilentiam promiscue habita, et male exustos sine discrimine cum noxiis innocentes, quod quam indignanter tulerit imperator Carolus III. apparet ex litteris eius ad Argentoratenses aliasque ciuitates apud SCHILTERVM *c. l. p. 1052*

XII

Sic itaque Iudaei fisco imperiali addicti fuerunt, eique censum in Germania praestiterunt, uel quod ab initio ei asseruati fuissent, uel quod a statibus imperii afflicti propitiam sibi experti essent maiestatem imperatoris. Quidam tamen putant, genus hominum pertinax et iniuriarum patiens tributis a Christianis cogendis idoneum uisum esse, et ab horum delatione seruos camarae dictos, LIMN. *ad A. B. c. 9. §. 2.* Vocantur autem serui camarae imperiales etiam in iis litteris imperatorum, quae post A. B. qua ius recipiendi Iudaeos cum Electoribus communicatum est, scriptae sunt. Porro hoc nomine ueniunt Carolo III. in rescripto ad Scultetum Francofurtensem dato *an. 1366.* apud LVNIGIVM *part. spec. des Reichs-Archivs, contin. III. I. Eheil, XVIII. Absatz, tit. Franckfurth am Mayn §. 57. p. 582.* VVenceslao in rescripto ad Frid-burgen-



burgenses dato an. 1394. LVNIGIVS *l. c. l. Eheil, XV. Absaq, tit. Friedberg §. 40. p. 745.* Sigismundo 1412. in confirmatione Vicariatus sacri imperii Ludouico de Sabaudia facta apud LEIBNIT. *part. I. Cod. iur. gent. §. 124. p. 306.* iisdemque et successoribus eorum alias passim. Imo ipsi hoc nomine imperatori Leopoldo blandiuntur, et instans exilium auertere conantur, Vienna 1670. excedere iussi in litteris supplicibus apud LVNDORP. *t. VIII. contin. act. publ. l. X. cap. 207. p. 716.* Amplius Sigismundus post haec tempora an. 1429. Erckingerò de Saumsheimb, Dynastae Schuuartzenbergico mandasse deprehenditur, ut ab omnibus et singulis Iudaeis imperii censum camarae imperialis exigeret; quemadmodum in *constitutione de communi denario data a. 1495. tit V. de Iudaeis, singuli Iudaei singulis quadrienniis florenum Rhenanum pendere iubentur, iisdemque in R. I. dato 1542. §. 43. singulis florenus ad bellum Turcicum, et quorum bona centum florenos ualore excedant, floreni census annuus imperati sunt.*

XIII

Ad hanc seruitutem pertinet nota, non, ut olim, stigma fugitiuorum mancipiorum manibus, aut, quod de Iudaeis in Abasia, Indiae orientalis regione, dicitur, maxillis inurendum, sed in uestimentis circumferendum, anulus flauus, ex panno filisue flauis confutus. Eius diameter digiti longitudinem aequare debebat, ut patet ex litteris Cardinalis CYSANI inter *privilegia urbis Francofurtanae part. II. p. 328.* et apud LIMNAEVM *l. VII. Iur. publ. c. 17. n. 46.* Origo moris repetitur ex *c. 15. X. de Iudaeis*, condito an. 1216. in Concilio generali sub Innocentio III. P. M. habito, sed cur anulo praecipue Iudaeos a Christianis distingui placuerit, non consentiunt scriptores. Quidam seculo V. SOCRATE et NICEPHORO testibus, Iudaeos Alexandriae seditionem contra

Christianos mouisse, quodque noctu eos aggressi essent, anulo ex cortice furculi palmei inter se cognitos esse aiunt, signoque anuli dein ignominiae causa notatos affirmant. Aliorum coniecturas sistit IO. HEIDFELDVS in *Spbinge* apud SCHVDTIUM *Memorab. Iudaic. l. VI. c. 14.* Nobis his anulis naturali ratione compedes, antiquissimum seruitutis symbolum, designari uidentur. Iis uinciri captiui, iis captiui opus facere solebant. PLINIUS de imminuta agriculturae dignitate *Histor. natur. XVIII. 3: at nunc eadem illi uincti pedes, damnatae manus, inscripti uultus exercent.* Hi compedes anulorum nomine ueniunt MARTIALI XI. 38:

*Anulus iste tuis fuerat modo cruribus aptus
Non eadem digitis pondera conueniunt.*

Eadem uox anuli restituenda uidetur PLAVTO *Menaechm. act. I. sc. 1:*

*Nam se ex catenis eximunt aliquo modo
Tum compediti anulum [pro ianuam] lima proterunt
Aut lapide excutunt clauam.*

Color anuli pannei Iudaici primum ruber placuit, quod is omnium facillime distinguitur a reliquis: pedecentim coccineus, et tandem flauus in locum eius subierunt

XIII

Sed etsi sic uulgo serui camarae imperialis appellentur, ipsique statum suum uoce *Galus*, captiuitatis, designent, mitissime tamen hodie in Germania habentur, et consuetudine sic ferente, praestito canone census sui, iuris communis participes habentur, nisi quod in paucis iure utuntur singulari, idque ex institutis partim ciuilibus et canonicis, partim etiam recessibus imperii et moribus.

Ex

Ex iure civili

I. Iudaeus cum Christiana, Christianus cum Iudaea matrimonium contrahentes adulterii rei sunt, *l. 6. C. de Iud.*

II. Iudaei Christianum ad sacra sua seducere poena capitis prohibentur, *l. 18. C. de Iud. l. 17. C. ne Christianum mancipium haereticus uel Iudaeus habeat.*

III. Ad Christianorum uero sacra transeuntes Iudaeos si quis eorum iniuria atrociori affecerit, flammis additur in *l. 3. C. de Iud.* In quorum delictorum tamen poenis infligendis multum sibi sumit arbitrium iudicis, adeo, ut poenae mortis fere successerit proscriptio.

Per Recessus imperii

I. Iudaeus confirmatione magistratus indiget, ut ex contractu ualidam habeat actionem, *Rec. imper. editus a. 1551. §. 79.* qua tamen confirmatione non indiget in nundinis.

II. Actiones ex contractu extrajudiciali cum Christiano inito, Christiano cedere nequit, *d. R. I. c. l.* instrumenta uero contractus cum Christiano, ut et rationes suas cum iisdem in lingua Germanica conficere tenentur, *ordinat. polit. Francof. edita 1577. tit. 20. §. 3.* Moribus debetur, quod a publicis officiis et militia arcetur, quemadmodum nec temere ad honores Academicos admittuntur. A tutelis Christianorum non simpliciter repellendi uidentur, si educatio pupilli Christiano credi, Iudaei uero negotiis pupilli utiles esse queant. Est, ubi diebus dominicis festisque laboribus abstinere coguntur, imo Christianorum etiam sacris et colloquiis interesse. Vetus praeterea institutum, quo Iudaeus in Germania iurans pelli porcinae insistere iubetur, quod passim adhuc seruari dicitur

XV

Sed haec omnia quotidianis mutationibus obnoxia sunt. Iam Rupertus a. 1407. magistrum Iudaeis concesserat,

ferat, nomine Israelem, qui iurisdictionem in eos exerceret, cum citandi, castigandi, excommunicandi potestate, SCHILTERVS *Instit. iur. publ. tom. I. lib. 1. tit. 4. §. 8. pag. 63.* Francofurti hodie Magistri et Seniores eorum cognitionem habent de controuersis suorum leuioribus, SEHVDTIVS *in memor. t. III. c. 28. §. 25.* Altonauiae uero ex priuilegio regis Daniae ipsi inter suos imperio mixto gaudent, cui exercendo singulis diebus solis uacant, *id. c. l. §. 25.* Quod uero ab armis arcentur, opinione gentium contingere crediderim, qua intutam Iudaeorum fidem esse arbitrantur, proditiōnis quippe toties accusatorum, aliquando etiam conuictorum. Accedunt sordes et ignominia, quibus a pueris affuescunt, quibusque cor iis *tremens* redditur, cuius modi cor inter caeteras poenas iis interminatur Deus *Deuter. XXVIII, 65.* Non desunt tamen uirtutis eorum bellicae exempla. Salomo Ben Iechaia Iudaeus a. 1190. praecipuus Dux exercitus Lusitanici magna ei cum felicitate, nec minore gloria praefuit, BASNAGE *Histoire des Iuifs l. VII. c. 8. §. 21.* Seculo XIII. exeunte Iudaei XXX. M. in exercitu Gallicano meruerunt, IO. TH. DIETR. *c. 2. de iure et statu Iudaeorum in rep. Christ. p. 26. ex chron. uet. Hassiaco sub HENRICO LEONE* scripto, nisi fallitur chronographus, Philippumque Pulchrum cum Adolpho imperatore commutat. Hic enim eodem tempore in exercitu suo contra Gallum 30000. Iudaeos duxit, non tamen probatae uirtutis milites, sed ut in prima acie constituti primos ictus exciperent, CVSPINIANVS *apud centurarios Magdeburgicos, centur. XIII. c. 15. col. 1286*

XVI

Constituerunt autem imperatores tuendis Iudaeis recipiēdoque eorum censui singulares Iudaeorum patrones, qui *Aduocati* Iudaeorum, [*Juden-Bögte*] appellabantur.

bantur. Hoc munus primum Cancellariis imperatorum, Archiepiscopis Moguntinis demandatum fuisse uidetur, *Ius uetus provinciale et feudale apud GOLDASTVM in constitutionibus imperii cap. 24. f. 37. Speculum Suevicum cap. 23. n. 3. cap. 346. n. 4. 6.* Eandem tamen curam in quibusdam imperii ditionibus Ludouicus Bauarus Henrico Comiti de VValdeck commisit, DAN. PRASSERI *Chronicon manuscriptum VValdeccense ad a. CIO CCC XXIII, apud SCHVDTIUM III. p. 32. Quo tempore etiam ab imperatore Ludouico in episcopatu Osnabrugensi et Monasteriensi Comiti Henrico VValdecco iuris dictio in Iudaeos pro soluendis contributionibus annuis, praestandisque imperio seruitiis concessa fuit, quale ius in Iudaeos solis Electoribus competebar.* Ex uerbis posterioribus colligi possit, non solum Moguntinum, sed et reliquos Electores censum a Iudaeis pro imperatore exegisse. Eidem SCHVDTIO *t. II. p. 135. l. VI. c. 7. imperator VVenceslaus, auctoritate Diarii Francofurtani f. 78. a. 1424. Bernhardum Marchionem Badensem iussisse dicitur, ut tertium numum a Iudaeis exigeret, et fisco inferret.* Sed in numero anni error uidetur, VVenceslaus enim iam *a. 1419.* diem obierat, dique ante a plerisque Electoribus destitutus, ut notum, imperii satagere destituerat. Eiusmodi porro aduocati Iudaeorum episcopus Spirensis ab imperatore Ruperto, nobiles Eckingeri de Saumsheim a Sigismundo creati sunt, LVDEVVIG *t. I. A. B. p. 853.* Idem Sigismundus Electori Brandenburgico Friderico I. mandatum [*Gebots. Brief*] ad omnes et singulas ciuitates imperii in Sueuia, Franconia, Bauaria, Alsatia, ad Rhenum, et in VVetterauia dedit, ut inter caetera ipsi census Iudaicus praestaretur, RENTSCHENS *Brandenb. Cedernheim p. 354. ap. SCHVDT. l. VI. c. 7. §. 1.* Tandem Fridericus III. Comitem Vlricum de VVurtemberg imperii iudicem in Iudaeos constituit, GOLDAST. *t. I. l. c. f. 186. sq*

XVII

Communicatum autem est ius recipiendi Iudaeos lege publica primum cum Electoribus, *A. B. cap. 9. uerbis: nec non Iudaeos habere*, dein cum reliquis statibus imperii, et inter eos cum nobilibus immediatis in *reformatione politica Augustana*, edita a. 1548. titulo *de Iudaeis XX.* uerbis: *sehen, ordnen und wollen wir, daß hinführo niemand Jüden aufzunehmen, oder zu halten gestattet werden soll, dann Denjenigen, die von Uns und dem H. Reich Regalia haben, oder insonderheit derhalben priuilegirt sind, quae repetuntur in ordinatione politica Francofurtana edita a. 1527. tit. de Iudaeis XX.* Equidem non desunt exempla Iudaeorum antea a statibus imperii receptorum, censusque his ab illis soluti, quemadmodum Eberhardus, Abbas S. Emerani Ratisbonae a. 1210. cœmeterium iis et synagogam concessit ea lege, ut unam libram singulis annis inde persoluerent, *GEVVOLDVS in addit. ad t. II. Metropolis HVNDII p. 263.* Et Rupertus, Comes de Mansfeld, idemque Praeful Magdeburgicus redempto pallio Roma a. 1260. rediens Iudaeos cepit, ab iisque censum 100000. marcarum coegit, *BOTHO in Chronico Picturato Brunswicensi ad d. a. apud LEIBNITIVM t. III. scriptorum rerum Brunswicensium p. 366.* Iudaei quoque Ratisbonenses Duci Bauariae censum soluisse, et ab eo camarae ipsius serui dicti fuisse, reperiuntur apud *HVNDIVM t. I. Metropolis Salisburgensis p. 144.* Sed Abbas S. Emerani Ratisbonensis uel ex priuilegio imperatorum, uel fluctuantibus adhuc iuribus imperatorum et statuum, uia facti Iudaeos recipere potuit: Rupertus tamen, Archiepiscopus Magdeburgicus usus uidetur temporum in magno interregno calamitate; Duces Bauariae uero hunc titulum referre uidentur ad Iudaeos Ratisbonenses, qui iis oppignorati fuerunt, ut apparet ex *presbyteri Ratisbonensis chronico Bauariae ad a. 1474. in uolumine rerum Germanicarum nouo, edito Argentorati 1685. fol*

XVIII

XVIII

Nec tamen ideo minus multi inveniuntur imperiis flatus, qui censu Iudaico non delectantur, et in quorum ditionibus Iudaei non tolerantur. E Palatinatu a Friderico et Ottone Henrico, Electoribus Palatinis ejecti fuerunt, ut apparet aus der Pfälzischen Landes-Ordnung, *tit. XVIII. §. 5. von Juden*. Hisdem aqua et igni interdicitur in Ducatu Coburgico, *durch die Coburgische Landes-Ordnung, art. 32.* Neque tolerantur apud Augustanos, Nordlingenses, Aquisgranenses, Colonienses, Noribergenses, Lubecenses, et Bremenses. A terris Brunsvicensibus et Luneburgensibus arcentur *edicto Ducis Henrici Julii, edito a. 1595. d. 18. Junii*, quod tamen dein mitigatum fuit. Ducatus Württembergici quoque extorres sunt, *Württembergische Landes-Ordnung, tit. XXVII.* circumferturque dictum Christophori, Ducis Württembergici, quo homines irae diuinae deuotos in ditionibus suis se toleraturum negat, etiamsi montes aureos pollicerentur, quod cum Christo perfide egerint, et per Cabbalam magiae dediti sint. Quae tamen rationes, ut et reliquae, quibus quosdam contra Iudaeos uti uidemus, non persuadent, nominis Christiani iniuria Iudaeos tolerari a Principe Christiano. Nam etiam nobiscum ipsis cognationem constituit natura, iisdemque nobiscum seminibus orti, aequae nascuntur aequae moriuntur. Accedit, quod argumentum praestant ueritati religionis Christianae custodia ueteris foederis, ac uirtutis studium tremendo iustitiae diuinae exemplo, quo per tot secula dispersi, palabundi coelique et soli sui extorres per orbem uagantur. Iidem industria et parsimonia sua incitamento sunt mercatoribus Christianis ad sollertiam et uitam frugi: interdum quoque necessitatibus reipublicae suo aere subleuandis sufficiunt. Caeterum ne plebem usuris attrant, seueris legum sanctionibus efficiendum, ini-

1808

D 2

micitia



28 EXERCIT. IVR. DE CENSU IYDAICO

micitia uerò crucis Christi mansuetudinē, uitāque recti
exempli superanda

XVIII

Ex quo autem, ut dictum fuit, Electoribus et statibus
imperii legibus publicis potestas data est recipiendi Iu-
daeos, plerique Iudaei Electoribus et statibus censum
soluere coeperunt. In quibusdam tamen ciuitatibus im-
perii, ueluti Francofurti, adhuc imperatoris nomine exi-
gitur census Iudaicus, nec minus aurum coronarium, in-
terdum etiam census extraordinarius. Census huius nomi-
ne sub Leopoldo adhuc a procuratore fisci imperii in ius
uocati Iudaei, ad uidendum taxari priuilegia sua. Fuerat
uero is ante florenus aureus pro singulis capitibus, sine di-
finitione sexus, aetatis, praestandus in festo natiuitatis
Christi, uel noui anni, LIMNAEVS *addit. ad I. P. I. III. c. 2.*
p. 147. et ad A. B. cap. 9. §. 2. obs. 2. 3. Aurum coronarium
tempore coronationis imperatoribus praestatur. Ad coro-
nationem Conradi III. Iudaei coronam auream unioibus
et lapillis pretiosis distinctam donauerunt, LERSNERI
Grandff. Chron. l. I. c. 7. fol. 55. Hodie 400. aureos Rhenanos
praestant, quemadmodum imperatori Carolo VI. feliciter
imperanti *die 2. Dec. a. 1711.* qui diem coronationis praee-
debat, poculum argenteum inauratum 24. marcarum ar-
genti, in quo crumena 400. florenis aureis referta, uicē auri
coronarii obtulerunt, SCHVDT. *II. 140.* Census extraordi-
narii exemplum a. 1685. obuium fuit, quo imperator Leo-
poldus a Iudaeis Francofurtensibus 100000. florenos ad
bellum Turcicum petiit, sed eorum nomine magistratus
Francofurtanus cum imperatore transegit, praestitis
20000. millibus florenorum, simulque impetrauit, ut non
solum a Carolo III. oppignorati Iudaei, sed etiam omnes
reliqui ita in potestate magistratus sint, ut numquam relui-
queant, quidquid in legibus futuris de reluendis pigno-
ribus imperii sanciatur.

NOBI-

1
2046

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
IUVENI,
IO. LVDOVICO
VHLIO,
DISSERTATIONEM
DE
CENSU IVDAICO
IN NOVA ACADEMIA GOTTINGENSI
PVBLICE DEFENSAM,
GRATVLATVR
IO. GOTTL. HEINECCIUS, IC.
POT. PRVSS. REGIS CONSIL. INT. ET IVR. AC PHIL.
IN ILLVSTRI FRIDERICIANA P. P. O.



Qvi Te, iussu uenerandi parentis, iter
Hanoueram suscipientem, non mo-
do uotis flagrantissimis, sed et, ab-
sens licet, ipso animo sum prosequutus, mi
suauissime VHLI, non possum profecto,
quin communem mihi existimem et laeti-
tiam, quam postremae litterae Tuae prae
se ferre uisae sunt, et felicitatem, quam
Tibi uotis maiorem obtigisse, intellexi.
Quum enim Tu, ex quo mihi Halam de-
migrandum fuit, numquam discesseris a la-
tere meo, et, qua es animi constantia,
communem Tibi mecum omnem fortu-
nam existimaris: meum quoque esse puto,
par pari referre, et amare inusitatum illum
amorem Tuum, quin, quidquid Tibi ex
animi sententia accidit, de eo non minus
laetari, ac si mihi ipsi accidisset. Talia ue-
ro Hanoueram excurrenti plura Tibi ac-
cidisse, audio, quae Tibi pro eo, ac de-
beo, ex animo gratulor. Primum enim
ex

ex honorifico testimonio illustrissimi DE
MVNCHHAVSEN, quo tantus uir cando-
rem, doctrinam, prudentiam ac mode-
stiam Tuam, exaratis ad me plenissimis hu-
manitate litteris, ornauit, tantam, mihi
crede, capio uoluptatem, ut maiorem non
possem, si filio meo ea felicitas, ut lauda-
retur a laudatissimo uiro, diuino munere
obtigisset. Neque enim alicui ex eorum
numero, qui alienis oculis uident, sed acu-
tissimo aequissimoque ingeniorum censo-
ri, uirtutem Tuam probasti, nec fieri potest,
ut uir ille illustrissimus, cuius in bonas ar-
tes innumera merita ipsae Musae Gottin-
genses aeternitati consecrabunt, de Te or-
nando non adsidue cogitet, cuius praecla-
rum ad quamuis ueram laudem impetum
ipse coram adspexit. Deinde non minus
mihi gratum fuit intelligere, Te Hanoue-
rae commorantem, uiro celeberrimo, IO.
GODOFREDO DE MEIERN, innotuisse, cu-
ius ex eruditissimis sermonibus quin fru-
ctum ceperis uberrimum, eo minus dubi-
to, quod ipse se hac consuetudine Tua mi-
rifice delectatum esse, litteris ad me aman-
tissime scriptis, professus est. Nec credo,
Te

Te ex manibus Tibi elabi passum esse occasionem, alios uiros doctissimos, quos Hanouera totusque ille terrarum tractus sinu suo complectitur, salutandi, eorumque Tibi amorem ac beneuolentiam conciliandi. Noui enim, quanti facere soleas omnes, quos ob solidiorem doctrinam fama celebrat, quantumque Tua interesse existimes, iis non modo innotescere, sed et in interiorem eorum amicitiam, si fieri possit, penetrare. Tum porro et id maxima cum uoluptate intellexi, Te ea occasione diuertisse Gottingam, et non modo eas Musas coram salutare, sed et ingenii monumentum in nouo illarum delubro dedicare decreuisse. Et sane percipere mihi tecum una uideor incredibilem illam uoluptatem, quam ibi ex quotidiana tot doctissimorum uirorum, amicorumque communium, in primis MASCOVII, GERNERI et SELLII consuetudine capis, quin me ipsum iucundo errore sentio illis congressibus, qui, tamquam Platonis coenae, non modo postridie, sed et omni uitae tempore, suauitatis suae sensum aliquem relinquunt, interesse. Quanti enim faciam uiros

uiros illos eruditissimos, Te, mi suauissime
VHLI, minime omnium ignorare oportet,
qui meministi procul dubio, quid de illo-
rum meritis tum in iurisprudentiam, tum
in litteras cultiores, iudicare soleam, et
quam saepe Tibi eam adprecatus sim felici-
tatem, ut ex humanissimi GESNERI acroa-
sibus fructum iam pridem capere potuisses,
qui, quod in elegantiore litteratura sum-
mum est, inter paucos, qui effoeto hoc
saeculo in illam aliquid studii atque indu-
striae conferunt, uidetur adsequutus. Sed
nescio, an quidquam mihi magis ex animi
sententia accidere potuisset, quam quod
de consilio illo pulcherrimo, subitarium
doctrinae Tuae specimen, duce v. c. GOTT-
FRIDO MASCOVIO, edendi me fecisti cer-
tiores. Ita enim Te uideo, antiquum ob-
tinere, et quemadmodum adhuc apud nos
nullum abire diem passus es, quin in rei-
publicae litterariae utilitatem ac commo-
dum aliquid ageres, ita Te ne peregrinan-
tem quidem, et a supellectile libraria seclu-
sum, hanc praeclaram curam omittere, in-
telligo: nec dubito, quin hoc sollertiae Tuae
argumentum et uenerando parenti Tuo, et,
cui Tua omnia merito probari cupis, illu-
-ngelo E strissi-

Strissimo DE MÜNCHHAUSEN, et amicis,
qui Tui causa omnia uolunt, gratissimum
sit futurum. Ego uero, si quisquam alius,
hoc consilio Tuo magnopere delector, tum
quod Te, uti satis nosti, unice amo, tum,
quod MASCOVIVM potissimum ducem at-
que ἐργολάκην elegisti, quem non modo ob
praeclaram eruditionem, sed et ob ipsum
nomen, quod inusitata fratris merita rei-
publicae litterariae iam pridem uenerabile
reddiderunt, incredibili amore prosequor.
Accedit, quod hoc doctrinae Tuae speci-
men ueluti cumulus accedit reliquis, quos
egregii publici causa suscepisti, laboribus.
Qui enim nuper reipublicae litterariae resti-
tuisti CUIACII, CHRIST. ADAMI RUPERTI
et BYNKERSHOEKII opuscula, ad illustran-
dum POMPONII *Enchiridion* comparata: qui
paullo post VVISSENBACHII *emblemata*, et
elegantem IO. VVYBONIS libellum, quo,
tamquam spongia, naeui illi, quos in col-
lectione iuris Iustiniani deprehendere sibi
uisus est VVISSENBACHIVS, ingeniose di-
luuntur, edidisti: qui denique praeter na-
uaram meis quibusdam libellis operam, iam
in eo totus es, ut IAC. CUIACII *obserua-
tiones*, Tua cura, emendatiores, multoque
elegant-

elegantiores, quam umquam, ex praelis
nostris prodeant: merito profecto nunc id
agis, ut ipse aliquid excudas effingasque,
quod perpetuo Tuum sit. Tu ergo inactus
sis hac uirtute, mi suauissime VHLI, et
quemadmodum alios Tuae aetatis doctri-
na, uirtute, integritateque animi superare
adhuc studuisti, ita Te ipsum superare in
posterum studeas, uel cures saltim ut Tui,
quod ipsum quoque laude dignum erit, sis
quam simillimus. Non ignoro equidem,
quo uiuamus saeculo, quantisque cum ob-
trectatorum iniuriis conflictandum sit omni-
bus, qui ultra illiteratissimas illas Accursii
litteras sapere, et nescio quid elegantius ac
sublimius sectari cupiunt. Neque puto Te
expertem futurum communis istius bona-
rum mentium calamitatis, quum iam dum
quorundam hominum odia atque insidias
re ipsa expertus sis. Sed tantum abest ut ea
in re uicem Tuam doleam, ut Tibi haec,
quae communia mecum habes, fata ex
animo gratuler, auguriumque inde capiam,
Deum O. M. Tibi studiisque Tuis certo ad-
futurum. Ipse enim experiundo dedici,
quo periculosiores mihi insidias struxerit
non modo inimicorum, sed, quod multo

imob

E 2

illae-

illaetabilius est, amicorum nequitia, eo magis me praesentissimam Dei opem atque auxilium persensisse, ac demum ueluti ex naufragii periculo in portum delatum, illos piratas, tristi fato intereuntes, non sine horrere spectasse. Numquam profecto maleuolorum artibus opprimitur uirtus, sed ea contra fortunam spei insistit, et quod de palma ueteres referunt, tanto audentius sese erigit, quanto grauiore pondere deprimitur. Et quis ad obtrectatorum uoculas expauescat, quibus se magis, quam alios, prostituunt? Non enim hae sunt uiro- rum grauium, sed perditissimorum hominum artes, aliorum fortunis insidiari, alios nihil tale meritis calumniis proscindere, ex aliorum calamitate uoluptatem, ac ueluti fructum oculis capere. An uero hoc impune ferrent homines, qui bonis tam proterue illudunt? Absit, ut de prouidentia summi Numinis tam male ominemur. Est profecto, est Deus, iustus omnis nequitiae uindex, qui haec uidet, et aliquando rationes exiget ab his hominibus, qui, perpetuis fortunae obsequiis freti, a nulla iniuria abstinent, omnesque etiam amicos perire uellent, tantum ut soli ueluti uacua in aula
domi-

dominentur. Age ergo, mi suauissime
VHLI, si quid tale et Tibi euenerit, excita
Te ipsum, Teque rebus seruare secundis
memento. Caue cedas inuidiae, quae tan-
tum abest, ut nocere possit, ut testimo-
nium uirtuti Tuae omni exceptione maius
praebat. Fac ut hos insultus alto super-
cilio despicias, Tuaeque Te uirtuti inuol-
uas, quae, diuino semper tuta praesidio,

*Duris ut ilex tonsa bipennibus,
Nigrae feraci frondis in Algido,
Per damna, per caedes, ab ipso
Ducit opes animumque ferro.*

Erit aliquando tempus, quo uidebis uana
fuisse ista maleuolorum hominum consilia,
quoque me haec omnia cecinisse tamquam
uatem, animaduertes. Interim Tibi per-
suadeas uelim, me communem Tecum ha-
biturum utramque fortunam, nec cuiquam
mortalium in Te amando ornandoque, si
quando fuerit occasio, quidquam concessu-
rum. Tu modo cura, ut ualeas, et amicos
Gottingenses meo nomine etiam atque
etiam salutes. Halae Idibus Nouembri-
bus MDCCXXXV.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
IO. LVDOVICO VHLIO,

CREILSHEMIO - ANSPACENSI,

S. P. D.

HENRICVS KOEHLERVS,

PHILOS. PROF. IN ACAD. IENENSI.

SI societatis cuiuscunque uincula rum-
pantur, si pereundum sit mundo, nisi
fiat iustitia, facile est ad iudicandum,
quanti pretii sit iurisprudencia, quae docet,
quid instum sit iniustumue, quae sit caus-
sa disceptandi ueri nominis, et quae sit non
nisi imaginaria. Finem hunc praeclarum
TIBI, VHLI DOCTISSIME, proposuisti, et,
qui bene coeptorum tenacissimus es, in eo
cum laude obtinendo omnes uires TVAS
consumis. Hinc ardorem eximium osten-
dis reuocandi iura ad principia domestica,
et hoc ipso opere demonstras, quantopere
confecteris soliditatem, quae iurispruden-
tiam a leguleiismo distinguit, atque efficit,
ut

ut cum scientia legum naturalium, cultus iuris positivi coniungatur. Et cum iam ante aliquot annos mihi, cuius praelectionibus philosophicis assidue interesse uoluisti, introspicere licuerit hoc idem TVVM propositum eximium, non possum mihi temperare, quin TIBI de prospero successu studiorum TVORVM et de disputatione, in Academia Regia Gottingensi publice uentilata, ex animo congratuler, DEVM OPTIMVM precatus, ut finitis laboribus Academicis TIBI suppeditet campum amplissimum, in quo demostres, quantum integritas animi, quam in TE singularem cum uoluptate expertus sum, in iure ad facta dextre applicando ualeat. Viuas feliciter, et me amare pergas.

Dabam Ienae ad d. VIII. Dec. A. O. R.

CIO MDCC XXXV.

* * * * * *
* * *

Iudaeae

* * * * *

Idaeae census edis, CLARISSIME, gentis,
Doctrinae magnum ingeniique TVI
Censum. Sorte TVA, FORTVNATISSIME,
gaude:

Hic census laudem dat TIBI perpetuam.

Nobilissimo atque doctissimo IO. LVD. VHLIO;
amico meo certissimo intimis animi sensibus
congratulatorus scripsi

Ienae cB Is cc xxxv.
a. d. III Id. Dec.

MARTINVS BORCK
Art. et Philos. Mag.



Ko 1924

X 236 64 19





Farbkarte #13

B.I.G.

18.
17

EXERCITATIO IVRIDICA
DE
CENSU IVDAICO

Oder:
Von der Juden-Schätzung.

QVAM
PRAESIDE
GOTTFR. MASCOVIO

IC. ET ANTECESSORE
POTENTISS. MAGN. BRITANNIAE REGIS
ELECTORIS BRVNSVIGO-LVNEBVRGICI
CONSILIARIO AVLICO

IN ACADEMIA REGIA GOTTINGENSI

AD D. XVI. NOVEMBR. CIO IO CC XXXV.
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI
SVBMITTET

IOANNES LVDOVICVS VHLIVS
CREILSHEMIO-ANSPACENSIS.



EDITIO SECVNDA.

IENTAE EX OFFICINA RITTERIANA
M DCC XXXVI.